

quæ postea Monachico cœlibatui sunt tributæ, fundamēta ex his erroribus sumpta: & dæmoniacæ doctrinæ, quam appellat Paulus I. Timoth. 4. v. 4. verissima semina & messes. 3. Multa turpia & inhonesta fieri concedunt. Quod omnino consequi necesse est. Nam qui cōiugium, quod à Deo institutum est, damnat, is omnem incontinentiam, & fornicationem toleret & permittat necesse est. Id quod videmus accidisse in Papatu, vbi Presbyteris legitima coniugia non licent, fœdissima autem stupra conceduntur: ita mimirum vlciscitur Dominus verbi sui contemptum, & stultas, vel potius blasphemias hominum in ipsius sapientem ordinationem voces, vti in his exemplis perspicuè videmus.

CAP. XXXVIII.

Cathari cur sic dicti, vnde profecti. Erroris autem eorum caput duplex enumeratum.



*Cathari*¹ qui seipsos isto nomine, quasi propter munditiem, superbissimè atque odiosissimè nominant: Secundas² nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Nouatum sectantes hereticum. Vnde etiam Nouatiani appellantur.

¹ Cathari qui seipsos.) Vna hæc & eadem hæresis varia nomina sortita est. Ipsa autem ab autore Nouato, Nouatianorum dicta est, quæ est Catharorum fons & mater. Cathari verò deductus ex ea riuulus: vti ex Carpocratianis profecti sunt, quemad-